

Disputatio medica inauguralis de vertigine. Quam ex auctoritate ... D. Wolferdi Senguerdii ... necnon amplissimi Senatûs academici unanimi consensu & almae Facultatis medicae decreto, pro gradu doctoratus summisque in medicina honoribus ac privilegiis ritè & legitimè consequendis / publico examini subjicit Jacobus Tant ... ad diem 18 Iunii horâ locoque solitis.

Contributors

Tant, Jacobus, active 1691.
Senguerdus, Wolferdus, 1646-1724.

Publication/Creation

Lugduni Batavorum : Apud Abrahamum Elzevier, academiae typographum, 1691.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/pq4vfav6>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

DISPUTATIO MEDICA
INAUGURALIS
DE

VERTIGINE.

Q V A M

FAVENTE SUMMO NUMINE

Ex auctoritate Magnifici Rectoris,

D. WOLFERDI SENGUERDII,

L.A.M.Phil.& J.U.Doct. illiusque in Illustri Acade-
miâ Lugd.-Bat. Profess. ordinarii, celeberrimi, &c.

N E C N O N

Amplissimi Senatûs Academici unanimi Consensu,

& Alma Facultatis MEDICÆ Decreto:

PRO GRADU DOCTORATUS

Summisque in MEDICINA Honoribus ac Privilegiis,
ritè & legitimè consequendis,

Publico examini subicit

JACOBUS TANT, Harlema Batavus.

Ad diem 18 Iunii horâ locoque solitis.



LUGDUNI BATAVORUM,

Apud ABRAHAMUM ELZEVIER,

Academiæ Typographum. MDCXCI.

Integerrimo & omni equitate Conspicuo Viro,

D. JUDOCO TANT, Palladis artibus addi-
tissimo, Fratri meo Charissimo, omni amo-
ris genere usque prosequendo;

NEC NON

Acutissimis expertissimisque Viris,

D. CAROLO DRELINCURTIO, Regio o-
lim in Galliis Medico, nunc vero in hac U-
niversitate Professorum antiquissimo, Pro-
motori honorando;

D. PAULO HERMANNO, Medicinæ Do-
ctori, hujusque ut & Botanices in Illustri Aca-
demia Lugd. Bat. Professori Ordinario, Bo-
tanico longè Excellentissimo, Præceptori u-
bique venerando;

D. ANTONIO NUCK, M.D. Med. & Ana-
tomix in Alma Academ. Lugd. Batav. Pro-
fessori Ordinario, dexterrimo, Collegii Chi-
rurgici Præsidi vigilantissimo, Præceptori de
meis studiis optimè merito,

Hasce studiorum meorum primitias, in perpe-
tui amoris gratitudinisque tesseram, obla-
tas desiderat,

JACOBUS TANT,

Auct. & Defend.





DISPUTATIO MEDICA
INAUGURALIS

DE

VERTIGINE.

PROOEMIUM.



*ente animoque perpendens, morem in hac
Celeberrima Academia jam antiquitus
invaluisse, ut qui ad Gradum Doctoratus
aspirat, nonnullum suorum in studiis
progressuum edat specimen: diutius mo-
ras morisnectere nolui, quin manus huic
operi admoverem: quare mihi humani*

*corporis conditionem intuenti, eandemque tot tantisque
morborum procellis subjectam reperienti, diu mens anxia
hæsit, tum, ut materiam ab aliis ad nauseam ferè usque de-
cantatam, adeoque cranibem quasi bis coctam proponere evi-
tarem, tum, ut nonnulla pro modulo Ingenii lucubrationes
Academicas spirantia, auditorum oculis subjicerem. Tan-
dem ad vertiginem, ab aliis forte nihili factam, me con-
fero: sed vix vocem protuli, quin audire videar, objicien-
tes mihi quid de vertigine materia adeo facilis & fami-*

Unable to display this page

inficias quod & Galenus docet dicens opticos cavos esse & perforatos sensibiliter / & manifestè, quod etiam legitime inferri potest è stupore illo, quem in artubus è nervorum eis insertorum compressione perſentimus, quo cum vulgus hominum afficitur, membra sua tunc obdormiscere exclamat.

I I I.

Dari spiritus animales in nervis patet etiam Galeno dicente (de motu musculorum 1^{mo}. Cap. 13.) est in cerebri ventriculis inquit spiritus animæ primum instrumentum, quo & sensum, & motum per universas partes anima transmittit.

Ingenue fatendum est hanc rem tantæ disquisitionis esse, & tot difficultatibus implicatam, ut ad hanc clarè explicandam majus, quam quod hætenus Anatomicis affulsit experimentorum lumen, haud immerito desideratur: ita ut jure exclamet Poëta:

Felix qui potuit rerum cognoscere causas.

Nec mirum cum res sit tenebris adeo involuta, & tot diverticulis dissectus labyrinthus, ut qui semel eum ingressus sit, exitum habeat perdifficilem: quare ulteriori cerebri descriptione supersedebo, Lectorem plura à me postulantem ad D. Blancard. Willisium aliosque remittens.

I V.

Anatomia cerebri breviter revoluta, tandem placido evocatus somnio, evigilavi mecum machinam humani corporis contemplan-
s, cujus singulos usus explicare velle, nil aliud est, quam Deos advocare in theatrum, ut solvant nodum fabulæ: hoc etiam antiquioribus per quam notum fuisse vel exinde colligi liceret, cum huic machinæ microcosmi nomen indiderint parvum mundum, seu compendium significans à μικρός parvus & κόσμος mundus quare dicam cum Hippocrate (in libro de arte) in consimili casu effatum, ὅσα τῶν ὀφθαλμῶν ὅφιν ἐκφεύγει τὴν τῆς γνώμης ἐξέρεται, licet oculor. visum effugiant, ea tamen mentis acie comprehenduntur.

V.

His igitur fretus morbi definitionem aggredior qui sic se habet vertigo δῖν Græcis dicta est objectorum omnium oculis apparentium, ut & capitis totiusque corporis imaginaria rotatio orta ab influxu spirituum animalium motu rectilineo in nervos impedito & eorundem in censorium commune per Gyros refluxu

sed inter explicandam hanc definitionem, multos hæsitantes video, utrum vertigini vox morbi, an symptomatis conveniat, ego hanc quæstionem ut futilem omittam, optionem lectori relinquens.

V I.

Ulterius ad allatæ definitionis enucleationem progredios quod haud difficile factu, modo rem concipiamus: Notandum præ cæteris occurrit sanguinem per arterias carotides sursum deferri, ut glandulis inserviat in lymphæ secretionem: secundo ut spiritus animales melius in organa influant, qui influunt, in quamvis partem pro judicio animæ motu rectilineo, unde cum judicat anima spiritus movere ad oculos eidem in oculos influunt, cum è contra anima imaginatur omnia ante oculos circumrotari, tunc pori tubulorum mutantur unde aliqualis obstructio unde jam non per lineam rectam, sed per lineam, lineæ rectæ proximam, idest circularem moventur: & hinc est quod aliquando vertigine laborantes in terram decidunt, ob sufficientem spirituum animalium in alias partes influxum denegatum, scilicet spiritus circulariter moti longiori temporis intervallo indigent, ut influant in partes remotiores quam si per lineam rectam moverentur, hinc in illis partibus sufficiens spirituum copia denegatur, hinc insufficiens robur, ut corpus sustineri queat, hinc omnes vacillationes.

V I I.

Sed cum spirituum animalium in organa influxum considerem, aliam reperio quæstionem agitatam apud authores, scilicet ad quam morbi classem referenda sit vertigo, an ad classem morbi sensuum, an motuum, an imaginationis (nam morbum organi omnes uno fatentur) alii visum, sensum communem alii, hi imaginationem, motum & sensum illi affectum autumant: Sennertus principaliter, & semper imaginationem, & sensum communem lædi existimat, siquidem oculis clausis vertigo oboriatur. Neque tamen inde sequitur vertiginem esse confundendam cum delirio quod disputat Masarias cum Altimaro: Regius vult visionem solummodo esse depravatam & non imaginationem: ego vero opinionem Sennerti & Riverii amplectens imaginationem, & sensum communem in vertigine lædi affirmo memoria & ratione

ne illaesa & tantum accidentaliter in graviore affectu ipsam vi-
sionem.

V. I. I. L.

Quod imaginatio & sensus laedatur, ita penes me concipie-
cum enim spiritus intra suos ductus, & orbitas dispositi moven-
tur tum meas è certis cerebri vestigiis distinctas quoque ideas
efformat sed simul atque ordo ille à natura pervertitur & spiri-
ritus huc illuc variè agitantur tum ex illa spirituum animalium
conturbatione absurdas cogitationes & inconcinnos motus oriri,
necesse est.

I. X.

Hinc etiam colligi aliquo modo potest iudicium mentis esse
quiddam à sola imaginatione distinctum, cum huic omnia cir-
cumagi videantur illaeso mentis iudicio: sed forte quis obji-
ciat, quod cum spiritus animales (quos etiam nemo recen-
siorum dari in inficias ibit) recurro idem sit, ac ad qualitates
occultas recurrere adeoque res plerumque obscuras per ob-
scuriores à me explicari, siquidem hi spiritus animales nulla
vel ratione vel experientia ab ullo Anatomicorum demonstra-
ri queant.

X.

Sed iis dicam spiritibus animalibus sublati functiones ani-
males neutiquam explicari posse, nec etiam video cur huma-
num superet caput, concipere substantiam tennem, & actuo-
sam, quæ ex innumeris pene effectibus innotescit & quidem in
naturæ, & artis operibus, ut in pulvere pyrio, auro fulminante
vitreis lacrymis, & aliis innumeris experiri est: in iis enim con-
clusus spiritus tantum itragis aut fragoris edit, quantum
nemo, nisi expertus crederet: quamobrem illud vero proximum
videtur spiritus animales instar ætheris nervorum fibras, & to-
tum corpus pervadere & licet quæ sit eorum substantia explicare
nequeamus, eos tamen existere dubitare non valemus.

X I.

His ita præmissis ad accuratiorem affectus præsentis evo-
lutionem mihi pergendum, quæ facilius acquiri nequit, nisi accu-
rato signorum examine: eleganter ait *Seneca Epist. 57.* omnia vi-
tia in aperto leniora sunt, morbi quoque tunc ad sanitatem in-
clinant cum ex abdito erumpunt, atque vim suam proferunt.

XII. Du-

Duplex reperio subjectum, alterum primum cerebrum scilicet cum subjacentibus nervis, secundarium alterum totum scilicet caput constituit: oculi nonnisi remotè, & accidentaliter afficiuntur: non scilicet hæc sibi oculi fingunt, nec in eorum bulbo vitiosè rotantur solum, sed intimius in ipsis cerebri penetralibus turbantur spiritus, nam in cæcis vertiginem observarunt.

Ad causam primo immediatam seu proximam, ad mediatam seu remotam postea accessurus, me confero, quam in definitione mea attuli, dicens eandem esse spirituum animalium influxum motu rectilineo in nervos impeditum & eorundem in cenforium commune per Gyros refluxum: spirituum animalium motus indirectus, & confusus causatur, ut plurimum, primo à quavis aura subtiliori spiritibus heterogenea eorumque texturam invertente: secundo à nervorum, & cerebri tubulis nonnihil obstructis: tertio à forti impressione rerum circumrotantium.

Quibus omnibus ansam dare queunt austera omnia in ventriculo, vel alibi hærentia, earumque partium, vel ventriculi orificii nervos contrahentia, & spasmodicè afficientia, aliæque sanguinem & per consequens humores ac spiritus ita incrassantia, ut Liberè cerebri nervorumque tubulos præterfluere nequeant.

2. Hypochondriaci ob eandem rationem (ibidem peccat acidum austerum) sæpius in vertiginem solent incidere.

3. Nec non plethora in causa esse potest, quia tunicae articularum nimis distenduntur.

4. Uti plethora sic vice versa sanguinis defectus causa existere potest, quia non sufficientes spiritus animales generari queunt.

5. Flatulentia alimentorum ut cepe, allia &c. quod etiam confirmat Galenus *Lib. 4. de Rat. viat. t. 42.* ubi materiam vaporosam vertiginis statuens causam/fit, ait, ob flatuosi spiritus inordinatam motionem, qui, vel in capite habet generationem, vel sursum ex internis partibus.

6. Hic etiam recte recenseri potest sanguis Cachochymicus

cus ad caput delatus varios edens nocivos halitus sive à primis viis sive à viscere putrescente ortus.

7. Quoque materia acris acida viscida mane jejuno ventriculo superius orificium stomachi nerveum vellicat molestam inducit sensationem spiritus turbat. Satiato vero ventriculo affectus cessat, quia jam materia peccans habet in quod agat: superstitès enim sine dubio particulæ quædam ciborum in ventriculo non penitus subactæ accumulatae vitiosè rarefiunt, & sic in forma vaporum caput replent & molesta oritur sensatio: patet id in iis juxta Helmontium qui hesternæ crapula onerati, vacuo ventriculo vertigines patiuntur: id oriri posse crediderim à calore debili cruditates pituitosas & viscidas subigere non valente unde in succum & sanguinem verti nequeunt sed vitiosè attenuantur.

X V.

Inter causas procatarcticas occurrit primo aër frigidus ut plurimum hujus morbi ferax quod innuit divinus senex *Secl. 3. Aph. 17.* loquens de constitutionibus austrinis dicit: vertiginem oculis, tarditatem corporibus adferunt: item *Secl. ejusdem Aph. 23.* hieme pleuritides peripneumoniæ &c. Inter quas etiam vertigines recenset hinc rectè Celsus frigus omni ratione vitandum monet, nam Hipp. partes nervosas à frigore non vindicatas lædendas comprobat. ait, *Aph. 17. & 20. Secl. 5.* à frigore nervor. distensiones derivans.

X V I.

Nec etiam indictæ hic abeant immoderatae vigiliæ patiar ubi optimè inquit Glissonius loquens de Rachitide: vigiliæ non modo alimentorum concoctionem impediunt, ast insuper acrimoniam quandam sanguini inurunt & insitorum spirituum defectum invehunt.

X V I I.

Quis à conspectu præcipitiorum vel rerum valde celeriter in orbem actarum vertiginem, non oriundam videt: Ratio præsto est, quia minus sunt assueti tali aspectui idcirco mens eorum terriculum aliquod tanquam sibi præsens imaginando, minus distinctam suscipit perceptionem quam confusa sequitur spirituum determinatio, & per consequens eorundem in Cerebri Tubulis Gyratio cum scilicet anima omnes spiritus

B

præ-

præsentés simul in membra ad lapsum præcavendum determinare conatur quo tempore non possunt non illi spiritus influxu sibi invicem tanto esse impedimento quin in orbem quandam præternaturalem commoveantur.

X V I I I.

Secundo, à circumrotatione rerum externarum celerissima similis etiam in spiritibus animalibus excitatur motus cui nisi quis assuescat necessario in vertiginem prolabetur.

X I X.

Causarum expositionem insequitur Diagnôsis quæ lippis & tonsoribus satis innotescit è Tremula corporis vacillatione & irregulari pedum incessu ut & oculorum caligine ventriculi nausea ab irregulari spirituum influxu ibidem delabentium, nervos musculosasque partes inæquali modo moventium aut comprimantium.

X X.

Hic multis agere de differentiis idiopathicis ac sympathicis ne in nimiam hæc inauguralis dissertatio excrescat molem potius desisto erit enim si vitium lateat in cerebro, vertigo idiopathica seu per essentiam sin vero alium insequatur morbum sympathica, sive per consensum: dein est vertigo levis cum objecta quæ in Gyrum abi videntur mox evanescit: alia gravior Græcis *εξότρη* Latinis & Medicis scotomia dicta dum oculi caligine obscurantur & varii colores muscæ igniculi &c. ob oculos versantur.

Vel gravissima vertigo caduca seu asphyxia dicta dum æger simul in terram prostermitur.

X X I.

Hinc devolvimur ad vertiginis prognosin quæ valde dubia.

1. Non est negligendus nec vilipendendus affectus cum è variis Medicorum observationibus pateat sæpius vertiginem levem saltem in principio prodromum fuisse, tum apoplexiæ tum Epilepsiæ: attamen non sinistrum sed exoptatum speramus effectum.

Minus periculosa existit si sit levis præcipuè in junioribus ob fibras ac poros partium magis molles ac mobiles.

Periculosior scotomia citra causam externam invadens.

Periculosissima asphyxia & præcipuè in senibus facile enim degenerat in apoplexiam.

A spirituum crassitie producta ob sanguinis intemperiem crassam, difficiliorem suscipit curationem quam cum sanguinis major motus causa existerit. *Ex Asacris*

Ab aquis & humoribus in cerebro collectis orta non raro in apoplexiam aut morbum soporosum alium degenerabit.

Quo visus ac virium major debilitas eo majus periculum adesse significatur cætera silentio præteribo curationem ample-
xurus.

X X I I.

Omnibus igitur remotis ambagibus curationem promoveamus, cum inconsultum videatur huic affectui ulteriorem ra-
dices agendi ansam permittere ne postmodum ordinaria elu-
dat respuatque remedia: curatio varia pro causarum varietate est
instituenda.

X X I I I.

(In casu etenim graviore in paroxysmo excitandus venit æger
si animi deliquium, apoplexiæ aut alterius morbi soporosi gra-
vioris initium adfuerit.) Spirituosus naribus, temporibus aut
aliis partibus adhibitis ex. gr. essentia succini comphorata spi-
ritus sal ammoniaci castorinus & succinatus, assa fætida cum
camph. & opio Thebaico naribus admota, ol. succin. castor.
lumbricor. fumus ex ungula alcis è succino, è plumis variar.
avium &c.

Post paroxysmum interna conveniunt medicamenta pro di-
versitate symptomatum exhibenda ex. gr. si vertigo oriatur è
consensu ventriculi (ut sæpius est) & cum nausea seu conatu
vomendi, vomitorium præscribendum judico additis specificis
hoc simileve.

℞. Infus. croc. metallor. ℥j.

Spiritus Carui ℥ii

Syr. pæon. ℥j. f. vomitorium.

Si vero absit conatus vomendi pillulas præscriberem sequen-
tes.

℞. Mass. pill. coch. ℥j.

Extract. agaric. gr. v.

B 2

Dia-

Diagryd. gr. ij.

Ol. succin. carui ana qf. f. pill.

X X I V.

Præmissis universalibus ad specifica deveniendum quæ sunt omnia Cephalica & uterina præcipuè autem hæc seq.

Rad. doric. galang. herb. Chærefol. salviae rorism. meliss. majoran.

Flor. calendul. eorumque conserva, fructus cubebæ

Sem. carui anis. ol. buxi carui. cumin. Nucis mosch.

Cinnab. antimon. succin. præparat. sal vol. succin. &c. e.g.

℞. Rad. galang. succin. præparat. ana ℥j f. pulv. vel

℞. abrotan. pulverisat. exhibe cum vino vel oxymel.

vel

℞. ℥. meliss. chærefol. ana ℥i℥

Spir. sal ammoniaci cum castoreo facti ℥℥.

Sal. vol. succin. gr. x.

Spir. cerafor. nigror.

Lilior. convallium ana ℥j

Laud. opiat. gr. ij

Syr. cort. citri ℥j. F. M. vel

℞. Cinnab. antimon. gr. vij succin. gr. xv.

Cubeb. galang. ana ℥℥

Sal. volat. succin. ℥j

Sacch. anisat. qf. f. pulv. cap. ex ℥. chærefol. cum spiritu lilior. convallium.

Nec etiam apozema sequens pro potu ordinario omittendum existimo.

℞. Antimon. crud. ℥iij coq. in ℔ vj vel vij aq. comm. dein post subsidentiam omnis antimonii aq. pura effundatur addendo

Bacc. junip.

Sem. dauc. vulg. ana ℥v

Rad. apii polipod. ana ℥x.

Liquirit. ℥v. coq. simul in diplomate per horam unam dein adde sub finem decoctionis.

Fol. rosm. menth. ana M℥

lign. sassaf. ℥vj

Rad.

Rad. Cyper. rotund. odorat. ʒij

M.

stent in infusione per horam unam dein colat ℥ijꝯ usui serve-
tur externè etiam conveniunt seq.

℞. Caryoph. ʒij.

Thur. mastich. ana ʒij

Rosin. fol. sabin. ana Mʒ

Camph. ʒʒ

Sem. nigell. ʒʒ M. F. S. A. Cucupha vel

℞. Ol. petræ ʒʒ. ol. succin. ʒj. camph. ʒʒ

F. linim. Nuchæ applicand.

X X V.

In graviore affectu conveniunt quoque frictiones partium ex-
tern. cum pannis asperis item vellicationes & punctiones inje-
ctis spirituosiss ac acriorib. clysterib.

E. G.

℞. Rad. pyreth. utriusque ana ʒj.

Fol. rutæ summit. origan. ana Mj.

Pulp. colocynthid. in petias ligat. ʒij coq. in r.

Coi adde col. ʒviij electuar. hiræ picræ ʒʒ Tinct. Castor. ʒij

Sal. vol. succin. ʒj. sal. gemm. ʒj. F. Clyster.

X X V I.

Venæsectio etiam hic sua meretur, non solum quia, sangui-
ne pro parte ablato, pori vasor. collabuntur adeoque motus ad
cerebrum magis arcetur ut via crassis non amplius spiriti-
bus pateat, verum etiam sanguis reliquus attenuatur.

X X V I I.

Quid de vesicatorio dicam sane magnæ utilitatis esse pore-
rit ut revellatur serum peccans crassius.

Vesicatoria enim sunt medicamenta è concretis particulis com-
posita quibus necessitate id suadente in quadam corporis parte
cuticula adempta, vasorum cutaneorum extremitates denu-
dantur, denudatæ irritantur ut variæ indolis copiosos evomant
humores.

Inter formulas maximè usitatas est sequens.

℞. Cantharid. ʒj. Euphòrb. ʒʒ

Emplast. de melilot. qf. incorporentur hæc manu.

B 3

Ca-

Calida sumendo tantum pulveris quantum emplastri massa calore potest hujus portio extendatur supra alutam applicetur per horas 7. 8. 10. 12. &c. horum particulae igneae cuticulam absque laesione penetrantes vasculosam cutis superficiem subeunt ita ut ex vasculis unice irritatis humor serosus particulis peccantibus imbutus in copia exspuatur.

X X V I I I.

Nec hic sua deerit laus fonticulò in artubus excitando.

Locus autem ad excitandum fonticulum in brachio est, inter muscolum deltoideum & bicipitem. De cæteris ut brevitati studeam altum silentium faciam.

Ejusmodi autem fonticuli præparantur vel cauterio potentiali vel incisione. cauteriorum potentialium descriptio passim existat apud authores Chirurgicos, sed simplicissimum est, è calce viva & smegmate Hollandico, quod satis etiam profunde partes corrodit & minori cum molestia, & apparatu proponitur, sed præstat cauterium sequens Barbettianum.

℞ Sulphur crud. arsenic. alb.

Antimonium crud. ana. ℥ij

Sulphuri leni igne separatim liquefacto & spatula agitato adde arsenicum album, & antimonium pulverisatum & misce donec uniantur cum sulphure & rubescant, dein.

℞ Hujus mixturæ. ℥j

Capit. mortui vitrioli. ℥ss

M. F. Pulvis aliquoties spiritu vini irrorandus & exsiccandus ad usum.

X X I X.

Si autem Cauterium potentiale quis applicare maluerit.

℞. Emplast. cujus medium foramine est pervium.

Eidemque parti foramen appone, dein particulam causticam admove eamque pulvillo Emplastrove tege, horis 3. 4ve effluxis remove Emplastr. & Escaræ Emplast., diapalmæ bis quotidie donec separatio peracta, applica.

X X X.

Nos vero incisionem præferimus quæ fit cutim manu elevando & forfice aut plebotomo eandem desecando.

Escara

Escara jam separata vel facto fonticulo per incisionem è pluma-
ceolo globulos compositos medicamentis detergentibus inunctos
ulceri appone, usque dum satis excavatur, cavitati huic globu-
lum vel pisum impone sæpius auferendum alio substituto & hoc
tamdiu continua quamdiu morbi curatio vel virium debilitas per-
gere prohibuerit.

Notandum varios occurrere patientes à fonticulo necessario
excusandos, nempe in quibus hæc emissalia minus aut nimis
quam oportet evacuant & quibus valde dolorifica & intolera-
bilis existit hæc operatio, si partium vicinarum inflammationes
& exesiones ulcuscula &c. oriantur de iis Consule Willisium
Cap. de fonticulo.

Itaque ne Lectori nauseam hac mea Dissertatione pariam
finem huic Disputationi cum Deo, cujus omnis honor & glo-
ria, imponam.

COROLLARIA.

I.

*Homini magnum cor habenti inspiratio respiratione diffi-
cilior.*

II.

*Glandulam pinealem nec sedem animæ nec peculiarem ei
inesse functionem nec censorium commune existimave-
ro.*

III.

*Transfusionem sanguinis aliquando utilem imò quasi
necessariam non negamus, ut in nimis hemorrhagiis
licet in Galliis olim usitata, postea à Pontifice Romano
& Rege Galliarum jure interdicta censeatur.*

IV.

Ossa pubis in parturiente à se invicem separari negamus.

V. Fla]

V.

Flatus in sanguine arterioso gigni posse non dubitamus: Sylvius enim arterias prater morem inflatas, alius auriculas cordis flatu distentas vidit: Clar. Dominus Hermannus Polypum in corde generatum Padue sibi demonstratum habuit: Louverus tres è corde extraxit lapillos: Platerus refert in quodam diuturna cordis palpitatione vexato & tandem è medio sublato osseum quiddam in corde fuisse genitum &c.

VI.

In Diabete vias peculiare dari verosimile est, sive sint pori foras introspectantes, sive sint ductus.

VII.

Essentia februm non consistit in calore.

F I N I S.



